

lobis (omnes tamen in runcinatam formam tendunt), vestitu, involucri squamorum forma & directione absolute incertæ sunt. Certus testor, me non e conjungendi studio, sed irrefutabili experientia plene convictum hoc scribere. Ceteris utique memorabilior est *L. serotinus* Kit.!, sed in planta Horti Lundensis culta *folia superne glabra evaserunt*, ut tantum foliis minus divisis dignoscere valeam. Vere diversus videtur:

*L. pubescens*, foliis interrupte pinnatis, bâsi scapoque lana erecta tomentosis, involucri ext. squamis ovatis. *Fries Nov.* 1814. p. 14. *L. eriopus*. *Donn.* *Prodr.* *Nep.*

In montibus altaicis. *Tilesius* ex Agardho! Emodi. *Donn.* Scapus non *araneoso-tomentosus*, ut sæpe in vulgari.

*Obs. 2.* Jam 1814 priores species conjungendas stâui & deinceps annua experientia nimis comprobavit. Varietates hoc modo fusius exponendas, ne observatio-nes commisceantur, seorsim tracto, sed exinde, *ut me qua-si illas distinguenter citent Auctores, nolo.* Proponendi modum non satis attendunt, qui *L. lævigatum* & *obliquum* prioris editionis *ut species me Auctore distinctas tradunt*.

*Obs. 3.* Denique notandum ad sæpes limosas Scaniæ me hujus speciei magnam vidisse copiam *pappo pror-sus sessili*. Sed flos exinde insolitam in duebat faciem; monstrosa luculenter progenies, in qua stipes pappi etiam in semina, vulgaris duplo longiora, turgescit.

## INTYBUS. FRIES.

**CHAR. ESS.** Involucrum duplex, exterius breve adpressum persistens; interius cylindricum, demum patens, lævigatum, squamis erectis æquilibus. Receptaculum nudum. Pappus sessilis pilosus lævissimus.

**CHAR. NAT.** Plantæ acaules, veræ scapigeræ, integri-foliæ, Leontodo affinitate naturali certe proximæ! Scapus uni-bi-aut multiflorus. — Involucrum cylindricum l. obconicum, demum apertum, æquabile (minime con-nivens, ventricosum, torulosum ut in Crepide) duplex, utrumque polyphyllum; interius squamis submembra-ceis linearibus æqualibus lævibus; exterius regulare, ad-pressum, nec deciduum. Corollæ, stamina & pistillum (elongatum) affinum. Receptaculum angustatum, nu-dum, læviuscum. Semina linearia, lævia. Pappus ut supra, longus, tenuissimus.

*Obs.* Inserendum est in Wahl. Fl. Suec. inter Leontodum & Crepidem. *Hieracium præmorsum*, cuius vetustum synonymon supervacaneum resuscitavi, a Hieraciis *involucro simplici imbricato ovato, squamis valde inæqualibus* & *incumbentibus*, *pappo scabro, scapo vix umquam vero* &c., longe recedere, præcipue spectata naturali affinitate, semper persuasum mihi habui, quare *Crepidii* potius convenire in Fl. Halland. (ut jam video quoque apud optimum Haller) observatum volui. Tamen & ab hoc genere involueri natura nimis removetur, quam ut ejus speciem dicam. Examinatis variis exoticis congruis speciebus, cum quibus facie eximie convenit, licet ad diversa genera (*Leontodon*, *Crepis*, *Hieracium* &c.) referantur, ut sui generis typum proponere non dubito.

245. INTYBUS *præmorsus*, foliis ovali-oblongis subdentatis mollibus, scapo thrysifloro. Hierac. *præmorsum* Linn. Suec. n. 700. cum syn. & descr. — *Wahl. Suec.* 873. & *Auct.*

*Obs.* *I. incarnatus* (Hieracium inc. *Jacq. Ic. rar. t. 578.* & *Auct.*) proximus, sec. nostra spec. Caranthiaca ab am. J. Vahl, *foliis hirto-scabris, scapo bifido-paniculato*, præter florum colorem, luculenter differt. Num vero *H. auriculæfolium* Willd. glabritie distinguendum, ex spec. siccis italicis, nondum satis mihi certum. (*H. integrifolium* Hopp. ! *I. succisæfolium* All., quod *glaberrimum* Hallero, cultura *hirsutum* evadit, inter hæc a Willdenowio collocatum, licet squamæ interiores solito magis æquales & basi subinde squamatæ, recte observante jam Hallero, verum est Hieracium & e tribu Pulmonareæ, ut & *H. bifidum* Kitaibel! &c., quæ, licet caulis nudus, scapigera vix dicas). Exoticis vero nimis ab hujus operis scopo recedentibus, addam tantum me in hispanicis exemplaribus *Intybi bulbosi* (*Leontodi bulbosi* L.) pappum videre sessilem & habitum genuini Intybi; *L. aureum* L. vero, si hujus generis?, habitu esse omnino deliquescentis *Apargiæ*, sub quo nomine & ex Helv. accepi.

246. APARGIA *hispida*. Linn. Suec. n. 694.

*β.* *glabrata*. Ed. 1. p. 104.

*Α.* *hastilis*. *Jacqu. Austr. t. 164.*

In Scaniæ fageticis montosis inter Krageholm & Snogeholm, in par. Madesjö Smoldiæ &c. major; minor passim in versuris Suec. merid.